



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii  
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von  
Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. VII. de Juram. Cal.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

citur, pactum intervenisse, & non est litis contestatio, cujus ratio ulterior est, quod per litis contestationem debeat ordinari iudicium, per talem exceptionem destruat, ergo per illam non potest fieri litis contestatio, quia eadem res diversos seu contrarios effectus parere non potest, quod hic directè fiet.

Quæres, an per confessionem rei inducatur litis contestatio. Resp. quod non, quia per eam non fit contradictoria responsio, & Judex non habet, super quo cognoscere incipiat, nullæ enim sunt partes iudicis in confidentem. *L. proinde 25. in fin. ad leg. Aquil. quia confessus habetur pro iudicato. l. 1. ff. de confessis.*

NB. in Zoesio numerus septimus huius tituli omitti debet.

**A**d finem huius tituli adde: Observa ex Vallensi, quod effectus litis contestatæ sit 1. quod faciat rem litigiosam. 2. Excludat dilatorias Exceptiones. 3. Inducat quasi contractum & instantiam. 4. Interrumpat præscriptionem. 5. Perpetuet actiones. 6. Faciat actiones penales descendere in hæredes. 7. Constituat possessorem quoad fructus in mala fide. 8. Faciat Procuratorem dominum litis. 9. Perpetuet jurisdictionem. 10. Faciat ut ad sententiam definitivam Judex procedere possit. *Ua Vallens. h. t.*

## AD TITUL. VII.

De Juram. cal.

**A**d Num. 6. in fin. adde. Ubi nota

versus vulgares ex Glossa in cap. 1. h. tit. *Illud juretur, quod lis sibi iusta videtur,*

*Et si quæretur, verum non inficietur.*

*Nil promittetur, nec falsa probatio detur,*

*Uti si tardetur, dilatio nulla petetur.*

## AD TITULUM. VIII.

De Dilationibus.]

**A**d num. 3. circa finem adde: Verum hodie pro consuetudine & moribus locorum inspiciendus stylus cujusque curiæ, Judex enim pro differentia loci, temporis, & personarum dilationem moderari potest, vel augendo vel minuendo. *c. 24. sub. de offic. delegat. & l. 1. C. h. t.* Unde est, quod jure Canonico & passim moderno tempore dilationes dicantur esse arbitrariæ, eò quod Judex prout fert circumstantia causæ & loci, vel restringere eas possit, vel prorogare. *Buñus ad l. 68. n. 8. ff. de judic.* Hinc etiam procedit, quod ex justa causa, si videlicet periculum sit in mora, Judex non teneatur reum ter citare, sed sufficiat una peremptoria citatio pro trina. *c. ult. inf. de dolo & contum. l. 2. l. contumacia ff. de Re judic.* Vocatur autem peremptoria, quod reo sive citato perimatur via ad ulterius legitime comparendum, eò quod habeatur pro contumaci, modò tamen in citatione particula illa *peremptorie* addatur. *l. 70. ff. de judic. & d. l. 68. cum duab. seqq.*

**A**d num. 4. in fin. adde: Dantur etiam dilationes executoriæ, quæ sunt quatuor mensium, & dantur illi qui a cione personali condemnatus est ut satisfaciatur. *cap. quarensi sup. de offic. deleg.*